



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXV. Quod archidiaconi habeant penes se in scriptis omnia ornamenta  
ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1222.

ualibus mere consistunt, nulli dentur ad firmam. Si vero reditus huic officio sit annexus, ille de superioris licentia dari poterit ad firmam, sicut inferius de aliis officiis statuemus. Si quis autem contra statutum venire præsumpserit archidiaconus vel decanus, si super hoc canonicè fuerit conuictus, per episcopum suum a tali officio suspendatur per annum, & alius interim constituatur, qui discrete gerat vices illius.

XXIII.

Vt autem archidiaconi, secundum Apostolum, <sup>Philipp. 2.</sup> non quæ sua sunt quærant, sed quæ Iesu Christi, in sua visitatione prouideant, vt canon Missæ emendetur, si sint in eo defectus: & quod sacerdotes rite proferre nouerint saltem verba canonis & baptismatis, & quod in hac parte sanum habeant intellectum; & etiam laici, si forte debeant baptizare in casu necessitatis, vt saltem sciant hoc facere in aliquo idiomate congruo seu vulgari.

XXIV.

Prouideant vtique archidiaconi, quod diligenter, iuxta formam Concilii generalis, eucharistia, chrisma, & oleum sanctum, salua sub clauibus recondantur, fidei custodiæ deputata.

XXV.

Habeant & archidiaconi redacta in scriptis omnia ornamenta & utensilia ecclesiarum, vestes quoque & libros singulis annis suo conspectui faciant præsentari, vt sic videant quæ fuerint addita per diligentiam personarum, vel quo tempore intermedio per malitiam & negligentiam deperierint.